Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 675

Quelle:
Copyright:

consentit Codex, ut *Psalmo* I. non repererim, nisi: *precepta contempneret* pro *praeteriret, intelligatur* pro *accipiatur cathedra, trahens eos in radices* omisso *in via, viam vero impiorum ut peccatorum non nosse*, ubi Edita *ut peccatorum* non habent. Suppletus est tamen et refectus Textus per decursum a diversis manibus, illudque habet peculiare, ut, quod in Editis *Numerum* 1. Psalmi cujusvis conficit, in Codice *Prologus* inscribatur, Numerus vero 2. titulum uncialem praeferat: *Incipit De Psalmo*, vel *Incipit Textus Psalmi. Fol.* 20. habetur prior illa Enarratio in *Ps.* XIV. quam *Mauriani* rejecere in calcem *col.* 1699. Inter *Foll.* 25. et 30. Compactoris vitio turbatum est. *Fol.* 32. p. 2. ad finem *Ps.* XXV. Codex adjicit: *animatur, nisi fuerit conuersus ad dominum. Fol.* 53. p. 2. Enarratio I. in *Ps.* XXXII. habita dicitur *In Mapalibus. Per Uigilias Sancti Martyris Cypriani*, et sequens *Ad Mensam eius*, id est, *Carthagine* in loco Martyrii. Post *Fol.* 64. excidere Membranae ab iis verbis *Serm.* 2. in *Ps.* XXXIV. *filium suum induit cilicio* — usque ad verba *Serm.* 2. in *Ps.* XXXVI. *Inducti sunt falsi testes, ut a iudicibus dampnarentur.* Post *Fol.* 78. rursus hiatus a verbis Enarrat. in *Ps.* XXXIX. *ipse ducit rectum* — usque ad verba Enarrat. in *Ps.* XLI. *Sic scriptum est in genesi. Posuit dominus cayn* &c. Idem accidit post *Fol.* 81. ubi a verbis Enarrat. in *Ps.* XLII. *sed ego ipse pono eam. Sed tristis est anima mea usque* — omnia desunt usque ad verba in *Ps.* XLIV. *quasi aliquid. Calicem salutaris accipiam* &c. Item post *Fol.* 106. excidit Enarrat. *Ps.* LI. a verbis: *Huic ergo potentie comparatum corpus illud* —. Item post *Fol.* 115. Enarrat. *Ps.* LV. a verbis: *Si in deo, quare meos? Et in deo* — usque ad verba Enarrat. *Ps.* LVII. *sent deum non sicut deum glorificauerunt* &c. Explicit Pars haec magnifici, sed indigne mutilati Codicis in Expositione Tituli *Ps.* LXVII. his verbis: *Textum consideremus atque tractemus. Explicit De Titulo.*

CCCXXIV.

Pars altera Folior. nunc 161. R. 6
fortunam magis novercam experta, ab his verbis orditur: *quod non accepisti? Vt ergo discernatur ab impiis* &c. quae leguntur in Enarrat. *Ps.* LXVII. Sed neque haec integra est; abrumpitur enim in verbis: *Juda confessio dicitur interpretari, Zabulon habita* — et statim *fol.* 3. legas: *sed sicut illic apostolus sequitur: Qui est super omnia deus benedictus* &c. quae habentur in Enarrat. *Ps.* LXXXI. Post *fol.* 14. deficit *Ps.* LXXXVII. in his verbis: *omnia que impendebant euenisse* — et *fol.* 15. orditur: *de se Christianus debet sperare. Si uult esse firmus* &c. quae pertinent ad finem Enarrat. 2. *Ps.* LXXXVIII. Post *fol.* 59. excidit membrana continens Sermonem II. in *Ps.* CIII. a verbis: *ista de nobis: deinde domno et patri* &c.